



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

65. Henricus I. Lotharingiae inferioris & Brabantiae Dux, praedia in Milleghem à viro nobili Antonio de Bunsceke, eiusq[ue] fratribus collata Canonicis Antuerpiensibus, confirmat anno 1202.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

Quisquis ades tecum voluas, quid nunc traho mecum:
Dum potes, est æquum te dare dona precum.

Huius epitaphij verius vnus aut alter, marmoris incisus, hodie-
que legitur, in ambitu chori nobilium virginum Canonicarum,
Montibus Hannoniæ.

CAPVT LXV.

*Henricus I. Lotharingia inferioris & Brabantia Dux, prædia in
Milleghem à viro nobili Antonio de Bunsceke, eiusq; fra-
tribus collata Canonicis Antuerpiensibus,
confirmat ann. 1202.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS, Dei gra-
tia, Dux Lotharingiæ, & Marchio Romani Imperij, tam futuris
quàm præsentibus in perpetuum.

Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quòd AN-
TONIVS & fratres sui, videlicet Willelmus, Henricus, Arnoldus,
milites de Bunsceke, duos manipulos decimæ in Millenghem, &
xiv. bunaria allodij, quod in eadem villa hereditario iure possede-
rant, in manus nostras, ad vsus Canonicorum ecclesiæ S. Mariæ in
Antverpia, more nobilium, liberè & absolutè resignauerunt: &
nos eadem bona, intuitu diuinæ remunerationis, Canonicis præ-
dictæ ecclesiæ in perpetuum possidenda, sub testimonio nobilium
virovum, contulimus.

Vt autem hæc donatio rata & inconuulsa in posterum perma-
neat, sigilli nostri impressione & testium subscriptione confirma-
uimus. Testium nomina hæc sunt,

Godefridus de Schoren, Arnoldus de Grimbergis,
Walterus Bertholt de Grimbergis,
Arnoldus & Gerardus fratres de Dieft,
Lambertus de Rumpdorpe, Henricus de Rikestelle,
Nicolaus de Ranst, Willelmus de Craihem,
Arnoldus Droffate de Rotfelar,
Arnoldus de Wesemale, Nicolaus de Sant.

Actum anno incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo 1202.
secundo.

Z z

NOTA-

NOTATIO.

DIEST) Distemium Brabantiae opidum ad Demeram, hodie ad gentem Nassauiam pertinet, cum Castellania Antuerpiensi. Distemienses namque domini à multis retrò sæculis fuerunt Castellani Antuerpienses.

CAPVT LXVI.

Philippus cognomento Nobilis, Marchio & Comes Namurcensis, numerum Canoniatuum seu prabendarum, in Namurcensi S. Albani ecclesia, auget, an. 1211.

PHILIPPVS Marchio Namucensis vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quàm futuris in perpetuum.

Nouerit vniuersitatis vestrae discretio, quòd cum ecclesiam in Namuco S. Albani Christi martyris pretiosi inuenissem aliquantulum desertam, & quasi vacuum, sincera dilectione eam amplectens, cum bona deuotione in quàm pluribus eam restruxi, tam in altaribus quàm nouoquæ presbyterio, tam campanis quàm campanarijs, ac Dormitorio, pluribusquæ alijs ipsi ecclesiae competentibus & necessarijs, gloriosisquæ Sanctorum reliquijs & pretiosis ornamentis honorau;

Assensuquæ domini HVGONIS Leodiensis Episcopi, à viris venerabilibus, domino STEPHANO scilicet Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primate, & à domino BERTRANNO Metensi Episcopo, Dominica qua cantatur, Quasi modò geniti, anno gratiæ 1208. millesimo ducentesimo octauo, feci consecrari, & numerum Canoniorum eiusdem ecclesiae, qui erat septemdecim, auxi tribus præbendis de proprijs bonis meis, & refeci numerum plenum viginti Canoniorum.

Hæc quidem non ex iactantia vel arrogancia refero, sed vt perpetuè, ad conseruationem honorum & dignitatis ecclesiae, tradantur memoriae scripto præsentè & sigillo meo, cum sigillo S. Albani, confirmata sunt. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo vndecimo.

CAPVT